



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Punctum V. ad Spiritum sanctum. Maliumq[ue] fuga.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

tormenta tua, contra sanguinem & passionem tuam; contra crucem & mortem tuam; quæ omnia contempsi, spreui, conculcavi; & quodammodo ostentui habui; ac quantum in me fuit, iterum te, Filium Dei, in memetipso crucifixi. O furor! ô diabolica rabies! Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, etiam sanguinearum, quibus lugeam & desseam inexplicabilem malitiam meam? ah! miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam; & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam: & propitius esto mihi maximo, ingratiſſimo & scelestiſſimo peccatori!

Punctum V. ad Spiritum sanctum

Malumq; fuga

O Patris & Filii Amor æternæ Spiritus S. amo te ex toto corde meo, & in contestationem hujus erga te amoris, firmissimè statuo, cum gratia tua peccata mea emendare, viam mandatorum tuorum alacrius currere, secundum sublimitatem status mei, perfectius tibi in posterum servire; ac subditos mihi commissos melius

instruere, & ad salutem æternam dirigere. Propono firmiter & efficaciter decerno contra omnia peccata strenuè pugnare, præsertim contra hoc N. N. Pravos Socios declinare; inimicis offensam remittere: quascunq; etiam minimas scandali ansas removere; omnes peccandi occasiones evitare: mediâ hæc N. N. adhibere; hanc mihi pœnam; jejunium, orationem vel eleemosynam, in verâ pœnitentiæ signum injungere. Atq; ita seriò hæc decerno, ut potius omnia damna subire, tormenta dirissima sustinere, sanguinem profundere, & vitam ipsam amittere milles malim, quàm delicta hæc denuò in conspectu Dei mei, & in ejusdem despectum perpetrare.

Sed unde mihi tam labili & inconstanti vires hæc proposita exequendi? velle quidem adjacet mihi, perficere autè non invenio. Ad te igitur, ô divine Spiritus! supplex confugio: tu unica spes & robur animæ meæ; omnia possum in te, si tu me confortes. conforta me igitur & corrobora, ô Spiritus fortitudinis! auge fidem, confirma spem, accende charita-

tem:

tem: & qui dedisti velle, da & perficere
per Christum Dominum nostrum, Amē.

*Subjungi possunt quinque Pater & Ave, tam
pro delictis illo die admissis, & indulgentiis lucrā-
dis, tum pro conversione peccatorum & oratio fi-
delium defunctorum, aut pro sodalitate cuius al-
bo inscriptus es. Quadrante ante nonam, diem
etiam sequentibus punctis.*

Praxis se Deo, Divis que sub
noctem piè commendandi.

Oratio I. ad Deum Patrem.

Mane nobiscum, Domine, quoniam ad-
vespera scit; custodi me ut pupillam o-
culi, & sub umbra alarum tuarum pro-
tege me, ne unquam obdormiam in mor-
te, & gratiā tuā excidam. Credo in te, ô
infallibilis Veritas! Spero in te, ô æter-
na nostra Beatitas! Amo te ô summa &
infinita Bonitas; atq; ab omnibus purissi-
mè & perfectissimè in æternum te amari
desidero! quidquid hodie in toto terra-
rum orbe peractum est boni, id cum Fi-
lii tui meritis tibi offero; utinam millies
illud augere & multiplicare potuissem.
Quidquid verò commissum est mali; uti-
nam vel sanguinis profusione impedire
licuisset. Quidquid etiam hac nocte effi-
cietur

cietur